

Orator

Cicero als consul, advocaat
en redenaar

Pensum Latijn

Jelle Abbenes
Gabriël Bakkum



HERMAION

3.1 Exordium

Hoe lang nog, Catilina?

- 1 (1) Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?
- Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consili ceperis quem nostrum ignorare arbitraris?

O tempora, o mores!

- (2) O tempora, o mores! Senatus haec intellegit, consul videt; hic tamen vivit. Vivit? Immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem istam quam tu in nos omnes iam diu machinaris.

Een legerkamp in Etrurië

(5) Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus

conlocata, crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem

castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in

senatu videtis intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem.

50 Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum

mihi, ne non potius hoc omnes boni serius a me quam quisquam crudelius

factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit,

certa de causa nondum adducor ut faciam. Tum denique interficere, cum

iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit qui id

55 non iure factum esse fateatur. (6) Quam diu quisquam erit, qui te

defendere audeat, vives, et vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis

praesidiis obsessus, ne commovere te contra rem publicam possis.

Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt,

speculabuntur atque custodient.

3.2 Narratio

Een aanslag gepland op de consul!

1 (9) O di immortales! Ubinam gentium sumus? Quam rem publicam habemus?

In qua urbe vivimus? Hic, hic sunt nostro in numero, patres conscripti, in

hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro omnium

interitu, qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent!

5 Hos ego video consul et de re publica sententiam rogo et, quos ferro

trucidari oportebat eos nondum voce volnero. Fuisti igitur apud Laecam

illa nocte, Catilina, distribuisti partes Italiae, statuisti, quo quemque

proficisci placeret, delegisti quos Romae relinques, quos tecum educeres,

discripsisti urbis partes ad incendia, confirmasti te ipsum iam esse

10 exiturum, dixisti paulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem.

Reperti sunt duo equites Romani qui te ista cura liberarent et se illa ipsa

nocte paulo ante lucem me in meo lecto interfecturos esse pollicerentur.

Ga nu maar weg, Catilina!

(10) Haec ego omnia vixdum etiam coetu vestro dimisso comperi; domum

meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi, exclusi eos quos tu ad

15 me salutatum mane miseris, cum illi ipsi venissent quos ego iam multis

ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram. Quae cum
ita sint, Catilina, perge, quo coepisti, egredere aliquando ex urbe; patent
portae: proficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Manliana castra
desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, si minus, quam plurimos; purga
20 urbem. Magno me metu liberabis, modo inter me atque te murus intersit.
Nobiscum versari iam diutius non potes; non feram, non patiar, non sinam.

3.3 Argumentatio

3.3.1 Je bereikt hier niks meer

Meermaals heb je mij persoonlijk willen doden

1 (11) Magna dis immortalibus habenda est atque huic ipsi Iovi Statori,
antiquissimo custodi huius urbis, gratia, quod hanc tam taetram, tam
horribilem tamque infestam rei publicae pestem totiens iam effugimus.
Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda rei publicae.
5 Quam diu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me
praesidio sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis consularibus
me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi
conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis nullo tumultu publice
concitato. Denique, quotienscumque me petisti, per me tibi obstiti,

10 quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate rei publicae
esse coniunctam.

Nu val je de volledige staat aan

(12) Nunc iam aperte rem publicam universam petis; templa deorum

immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad

exitium et vastitatem vocas. Qua re, quoniam id quod est primum, et quod

15 huius imperi disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum audeo,
faciam id quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem utilius.

Nam si te interfici iussero, residebit in re publica reliqua coniuratorum

manus; sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe

tuorum comitum magna et perniciosa sentina rei publicae.

Dit is toch ook niks voor jou?

20 (13) Quid est, Catilina? Num dubitas id me imperante facere quod iam tua

sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in

exsiliium? Non iubeo sed, si me consulis, suadeo. Quid est enim, Catilina,

quod te iam in hac urbe delectare possit? In qua nemo est extra istam

coniurationem perditorum hominum qui te non metuat, nemo qui non

25 oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? Quod

privatarum rerum dedecus non haeret in fama? Quae libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore afuit? Cui tu adolescentulo quem corruptelarum inlecebris inretisses non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti?

3.3.4 **Waarom laat ik hem gaan, vragen jullie?**

Laat je hem gaan, Cicero?

(27) Nunc, ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae

querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter quae

dicam et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim si

mecum patria quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si

5 omnis res publica <sic> loquatur: "M. Tulli, quid agis? Tunc eum quem

esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem

exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris,

principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum,

exire patiere, ut abs te non emissus ex urbe sed immissus in urbem

10 esse videatur? Nonne hunc in vincla duci, non ad mortem rapi, non

summo supplicio mactari imperabis?

Wat houdt je tegen?

(28) Quid tandem te impedit? mosne maiorum? At persaepe etiam privati

in hac re publica perniciosos cives morte multarunt. An leges quae de

civium Romanorum supplicio rogatae sunt? At numquam in hac urbe qui a

15 re publica defecerunt civium iura tenuerunt. An invidiam posteritatis

times? Praeclaram vero populo Romano refers gratiam qui te, hominem

per te cognitum, nulla commendatione maiorum tam mature ad summum

imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam aut

alicuius periculi metum salutem civium tuorum neglegis. (29) Sed, si quis

20 est invidiae metus, non est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia

quam inertiae ac nequitiae pertimescenda. An, cum bello vastabitur Italia,

vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existumas invidiae incendio

conflagraturum?"

4.2 Narratio

Archias' jeugd

1 (4) Nam ut primum ex pueris excessit Archias atque ab eis artibus quibus

aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium

contulit, primum Antiochiae – nam ibi natus est loco nobili – celebri

quondam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque
5 studiis adfluenti, celeriter antecellere omnibus ingeni gloria coepit. Post in
ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia sic eius adventus celebrabantur ut
famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus
admiratioque superaret. (5) Erat Italia tum plena Graecarum artium ac
disciplinarum, studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur quam
10 nunc isdem in oppidis, et hic Romae propter tranquillitatem rei publicae non
neglegebantur. Itaque hunc et Tarentini <et Locrenses> et Regini et
Neopolitani civitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes, qui aliquid de
ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt.

Archias komt naar Rome

(5) Hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam
15 venit Mario consule et Catulo. Nactus est primum consules eos quorum
alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas tum etiam studium
atque aures adhibere posset. Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum
Archias esset, eum domum suam receperunt. Dedit etiam hoc non solum
<lumen> ingeni ac litterarum verum etiam naturae atque virtutis ut

20 domus, quae huius adolescentiae prima favit, eadem esset familiarissima
senectuti. (6) Erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico et eius
Pio filio, audiebatur a M. Aemilio, vivebat cum Q. Catulo et patre et filio,
a L. Crasso colebatur, Lucullos vero et Drusum et Octavios et Catonem et
totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret,
25 adficiebatur summo honore, quod eum non solum colebant qui aliquid
percipere atque audire studebant verum etiam si qui forte simulabant.

Archias wordt burger van Heraclea

Interim satis longo intervallo, cum esset cum M. Lucullo in Siciliam
profectus et cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit
Heracleam. Quae cum esset civitas aequissimo iure ac foedere, ascribi
30 se in eam civitatem voluit idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum
auctoritate et gratia Luculli ab Heracliensibus impetravit. (7) Data est
civitas Silvani lege et Carbonis: "Si qui foederatis civitatibus ascripti
fuissent, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent et si
sexaginta diebus apud praetorem essent professi." Cum hic domicilium

35 Romae multos iam annos haberet, professus est apud praetorem Q.

Metellum, familiarissimum suum.

4.4 Confirmatio

4.4.1 Het belang van literatuur

Waarom is het werk van Archias zo belangrijk?

1 (12) Quaeres a nobis, Gratti, cur tanto opere hoc homine delectemur. Quia

suppeditat nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur et aures

convicio defessae conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse

quod cotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina

5 excolamus, aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina

eadem relaxemus? Ego vero fateor me his studiis esse deditum. Ceteros

pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt ut nihil possint ex eis neque ad

communem adferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre; me

autem quid pudeat qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius umquam me

10 tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit,

aut denique somnus retardarit?

Ik heb toch ook recht op ontspanning?

(13) Qua re quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure suscenseat,

si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum

celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et

15 corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis,

quantum denique alveolo, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec

studia recolenda sumpsero? Atque id eo mihi concedendum est magis quod

ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas, quae, quantacumque

<est> in me, numquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior

20 videtur, illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam sentio.

Literatuur inspireert tot grootse daden

(14) Nam nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia

suassissem nihil esse in vita magno opere expetendum nisi laudem atque

honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia

pericula mortis atque exsili parvi esse ducenda, numquam me pro salute

25 vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum

cotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae

sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iacerent in tenebris
omnia, nisi litterarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines non
solum ad intuendum verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum
30 expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt! Quas ego mihi semper
in administranda re publica proponens animum et mentem meam ipsa
cogitatione hominum excellentium conformabam.

Een goed karakter is de basis

(15) Quaeret quispiam: "Quid? Illi ipsi summi viri quorum virtutes litteris
proditae sunt istane doctrina quam tu effers laudibus eruditi fuerunt?"

35 Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum quid
respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse sine
doctrina, et naturae ipsius habitu prope divino per se ipsos et moderatos
et graves exstitisse fateor; etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque
virtutem naturam sine doctrina quam sine natura valuisse doctrinam.

40 Atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam atque inlustrem
accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid
praeclarum ac singulare solere existere.

Literatuur is voor altijd en iedereen

(16) Ex hoc esse hunc numero quem patres nostri viderunt, divinum

hominem, Africanum, ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos

45 homines et continentissimos, ex hoc fortissimum virum et illis temporibus

doctissimum, <M.> Catonem illum senem; qui profecto si nihil ad

percipiendam colendamque virtutem litteris adiuventur, numquam se ad

earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et

si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animi

50 remissionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae

neque temporum sunt neque aetatum omnium neque locorum; at haec

studia adolescentiam acuunt, senectutem oblectant, secundas res ornant,

adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt

foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Genialiteit verdient onze bewondering

55 (17) Quod si ipsi haec neque attingere neque sensu nostro gustare

possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit ut Rosci morte nuper non

commoveretur? Qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem

artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille

60 corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus; nos

animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum neglegemus?

En geniaal is hij zeker

(18) Quotiens ego hunc Archiam vidi, iudices, – utar enim vestra

benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter

attenditis – quotiens ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam,

65 magnum numerum optimorum versuum de eis ipsis rebus quae tum

agerentur dicere ex tempore, quotiens revocatum eandem rem dicere,

commutatis verbis atque sententiis! Quae vero accurate cogitateque

scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem perveniret.

Hunc ego non diligam, non admirer, non omni ratione defendendum putem?

70 Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum

rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare, poetam natura ipsa

valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu inflari. Qua

re suo iure noster ille Ennius 'sanctos' appellat poetas, quod quasi deorum

aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. (19) Sit igitur,

75 iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen

quod nulla umquam barbaria violavit.

4.4.3 Alle mensen zijn gevoelig voor lof Het voorbeeld van filosofen en generaals

1 (26) Neque enim est hoc dissimulandum quod obscurari non potest, sed

prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque

maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi, etiam in eis libellis quos de

contemnenda gloria scribunt nomen suum inscribunt; in eo ipso in quo

5 praedicationem nobilitatemque despiciunt praedicari de se ac nominari

volunt. (27) Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Acci,

amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit

suorum. Iam vero ille qui cum Aetolis Ennio comite bellavit Fulvius non

dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Qua re, in qua urbe

10 imperatores prope armati poetarum nomen et Musarum delubra coluerunt,

in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poetarum salute

abhorrere.

Een lofdicht voor Cicero

(28) Atque ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo et de

meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verum tamen honesto

15 vobis, confitebor. Nam quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro

salute huius <urbis> atque imperi et pro vita civium proque universa re

publica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit. Quibus auditis, quod

mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum adornavi. Nullam

enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter

20 hanc laudis et gloriae; qua quidem detracta, iudices, quid est quod in hoc

tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus?

Het voortleven van mijn naam ...

(29) Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus

regionibus vitae spatium circumscriptum est, isdem omnes cogitationes

terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret neque tot curis

25 vigiliisque angeretur nec totiens de ipsa vita dimicaret. Nunc insidet

quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes ac dies animum

gloriae stimulis concitat atque admonet non cum vitae tempore esse

dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate

adaequandam.

is altijd mijn doel geweest

30 (30) An vero tam parvi animi videamur esse omnes qui in re publica atque

in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum

spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum

simul moritura omnia arbitremur? An statuas et imagines, non animorum

simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt;

35 consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle

debemus summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia quae

gerebam iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in

orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post

mortem a futura est, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam

40 animi mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam

speque delector.

5.1 Piso's carrière vs. die van Cicero

Cicero gaat voluit in de aanval

- 1 (1) Iamne vides, belua, iamne sentis quae sit hominum querela frontis
tuae? Nemo queritur Syrum nescio quem de grege noviciorum factum esse
consulem. Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes
putridi deceperunt; oculi, supercilia, frons, voltus denique totus, qui sermo
5 quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit, hic eos quibus
erat ignotus decepit, fefellit, induxit.
Pauci ista tua lutulenta vitia noramus, pauci tarditatem ingeni, stuporem
debilitatemque linguae. Numquam erat audita vox in foro, numquam
periculum factum consili, nullum non modo inlustre sed ne notum quidem
10 factum aut militiae aut domi. Obrepisti ad honores errore hominum,
commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil praeter
colorem.

De verkiezingen

- (2) Is mihi etiam gloriabatur se omnes magistratus sine repulsa
adsecutum? Mihi ista licet de me vera cum gloria praedicare; omnes enim
15 honores populus Romanus mihi ipsi homini detulit. Nam tu cum quaestor

es factus, etiam qui te numquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Aedilis es factus; Piso est a populo Romano factus, non iste Piso.

Praetura item maioribus delata est tuis. Noti erant illi mortui, te vivum
20 nondum noverat quisquam. Me cum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat, homini ille honorem non generi, moribus non maioribus meis, virtuti perspectae non auditae nobilitati deferebat.

Cicero's consulaat in vergelijking met dat van Piso

(3) Nam quid ego de consulatu loquar, parto vis ane gesto? Miserum me!

25 Cum hac me nunc peste atque labe confero! Sed nihil comparandi causa loquar ac tamen ea quae sunt longissime disiuncta comprehendam. Tu consul es renuntiatus – nihil dicam gravius, quam quod omnes fatentur – impeditis rei publicae temporibus, dissidentibus consulibus, cum hoc non recusares eis a quibus dicebare consul, quin te luce dignum non putarent,
30 nisi nequior quam Gabinius exstitisses.

Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella quam voce priorem consulem declaravit. Sed omitto ut sit factus uterque nostrum; sit sane Fors domina campi. Magnificentius est dicere quem ad modum gesserimus consulatum quam quem ad modum ceperimus.

5.2 In dienst van Clodius

Piso en Gabinius waren erger dan Catilina

(15) Quae enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium

facientem consules adiuverunt. Voluit ille senatum interficere, vos

10 sustulistis; leges incendere, vos abrogastis; interimere patriam, vos

adflixistis. Quid est vobis consulibus gestum sine armis? Incendere illa

coniuratorum manus voluit urbem, vos eius domum quem propter urbs

incensa non est.

Ac ne illi quidem, si habuissent vestri similem consulem, de urbis incendio

15 cogitassent; non enim se tectis privare voluerunt, sed his stantibus nullum

domicilium sceleri suo fore putaverunt. Caedem illi civium, vos servitutum

expetistis. Hic vos etiam crudeliores; huic enim populo ita fuerat ante vos

consules libertas insita ut ei mori potius quam servire praestaret.

Julie wilden wraak nemen op mij voor Catilina

(16) Illud vero geminum consiliis Catilinae et Lentuli, quod me domo mea

20 expulistis, Cn. Pompeium domum suam compulistis. Neque enim me stante
et manente in urbis vigilia neque resistente Cn. Pompeio, omnium gentium
victore, umquam se illi rem publicam delere posse duxerunt. A me quidem
etiam poenas expetistis quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis;
omne odium inclusum nefariis sensibus impiorum in me profudistis. Quorum
25 ego furori nisi cessissem, in Catilinae busto vobis ducibus mactatus essem.

Quod autem maius indicium expectatis nihil inter vos et Catilinam

interfuisse quam quod eandem illam manum ex intermortuis Catilinae

reliquiis concitastis, quod omnes undique perditos conlegistis, quod in me

carcerem effudistis, quod coniuratos armastis, quod eorum ferro ac furori

30 meum corpus atque omnium bonorum vitam obicere voluistis?

5.4 Piso als Epicureër

Piso's Griekse vriend

1 (68) Dicet aliquis: 'Unde haec tibi nota sunt?' Non me hercules contumeliae
causa describam quemquam, praesertim ingeniosum hominem atque
eruditum, cui generi esse ego iratus ne si cupiam quidem possum.

Est quidam Graecus qui cum isto vivit, homo, vere ut dicam – sic enim
5 cognovi – humanus, sed tam diu quam diu aut cum aliis est aut ipse
secum. Is cum istum adolescentem iam tum hac dis irata fronte vidisset,
non fastidivit eius amicitiam, cum esset praesertim appetitus; dedit se
in consuetudinem sic ut prorsus una viveret nec fere umquam ab eo
discederet.

De gevaren van het Epicurisme

10 Non apud indoctos sed, ut ego arbitror, in hominum eruditissimorum et
humanissimorum coetu loquor. Audistis profecto dici philosophos
Epicureos omnes res quae sint homini expetendae voluptate metiri;
rectene an secus, nihil ad nos aut, si ad nos, nihil ad hoc tempus; sed
tamen lubricum genus orationis adolescenti non acriter intellegenti
15 et saepe praeceps.

Piso werd verleid door het Epicurisme

(69) Itaque admissarius iste, simul atque audivit voluptatem a philosopho
tanto opere laudari, nihil expiscatus est, sic suos sensus voluptarios omnes
incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinnivit, ut non magistrum virtutis
sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur.

20 Graecus primo distinguere et dividere illa quem ad modum dicerentur;
iste 'claudus,' quem ad modum aiunt, 'pilam'; retinere quod acceperat,
testificari, tabellas obsignare velle, Epicurum diserte dicere existimare.

(70) Dicit autem, opinor, se nullum bonum intellegere posse demptis

corporis voluptatibus. Quid multa? Graecus facilis et valde venustus nimis

25 pugnax contra imperatorem populi Romani esse noluit.

De Griek is een gecultiveerd man, maar een vleier

Est autem hic de quo loquor non philosophia solum sed etiam ceteris studiis

quae fere Epicureos neglegere dicunt perpolitus; poema porro facit ita

festivum, ita concinnum, ita elegans, ut nihil fieri possit argutius. In quo

reprehendat eum licet, si qui volet, modo leviter, non ut improbum, non ut

30 audacem, non ut impurum, sed ut Graeculum, ut adentatorem, ut poetam.

Devenit autem seu potius incidit in istum eodem deceptus supercilio

Graecus atque advena quo tot sapientes et tanta civitas.

Piso's Griekse vriend zit klem in hun vriendschap

Revocare se non poterat familiaritate implicatus et simul inconstantiae

famam verebatur. Rogatus, invitatus, coactus ita multa ad istum de

35 ipso quoque scripsit ut omnes libidines, omnia stupra, omnia cenarum
conviviorumque genera, adulteria denique eius delicatissimis versibus
expresserit, (71) in quibus, si qui velit, possit istius tamquam in speculo
vitam intueri; ex quibus multa a multis et lecta et audita recitarem, ni
vererer ne hoc ipsum genus orationis quo nunc utor ab huius loci more
40 abhorreret; et simul de ipso qui scripsit detrahi nihil volo.

Philodemus had pech met Piso als leerling

Qui si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior
et gravior esse potuisset; sed eum casus in hanc consuetudinem
scribendi induxit philosopho valde indignam, si quidem philosophia, ut
fertur, virtutis continet et officii et bene vivendi disciplinam; quam qui
45 profitetur gravissimam sustinere mihi personam videtur. Sed idem casus
illum ignarum quid profiteretur, (72) cum se philosophum esse diceret,
istius impurissimae atque intemperantissimae pecudis caeno et sordibus
inquinavit.

5.5 Piso's kritiek op de poëzie van Cicero

Cedant arma togae, ...

- 1 Qui modo cum res gestas consulatus mei conlaudasset, quae quidem
conlaudatio hominis turpissimi mihi ipsi erat paene turpis, 'non illa tibi,'
inquit, 'invidia nocuit sed versus tui.' Nimis magna poena te consule
constituta est sive malo poetae sive libero. 'Scripsisti enim: "Cedant arma
5 togae.'" Quid tum? 'Haec res tibi fluctus illos excitavit.' At hoc nusquam
opinor scriptum fuisse in illo elogio¹ quod te consule in sepulcro rei
publicae incisum est: 'VELITIS IVBEATIS VT, QVOD M. CICERO VERSVM
FECERIT,' sed 'QVOD VINDICARIT.'

Wat wordt bedoeld met die dichtregel?

(73) Verum tamen, quoniam te non Aristarchum, sed Phalarin

- 10 grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum,
sed poetam armis persequare, scire cupio quid tandem in isto versu
reprehendas: 'Cedant arma togae.' 'Tuae dicis,' inquit, 'togae summum
imperatorem esse cessurum.' Quid nunc te, asine, litteras doceam? Non
opus est verbis sed fustibus. Non dixi hanc togam qua sum amictus,

1 Cicero stelt het voor alsof de republiek door de *lex Clodia* dood en begraven was, en de woorden van het wetsvoorstel als een grafschrift op het graf worden gezet.

15 nec arma scutum aut gladium unius imperatoris, sed, quia pacis est
insigne et oti toga, contra autem arma tumultus atque belli, poetarum
more tum locutus hoc intellegi volui, bellum ac tumultum paci atque otio
concessurum.

... concedat laurea laudi

(74) Quaere ex familiari tuo Graeco illo poeta; probabit genus ipsum et
20 agnoscet neque te nihil sapere mirabitur. 'At in altero illo,' inquit, 'haeres:
"concedat laurea laudi."' Immo me hercule habeo tibi gratiam; haererem
enim nisi tu me expedisses. Nam, cum tu timidus ac tremens tuis ipse
furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream ad portam
Esquillinam abiecisti, iudicasti non modo amplissimae sed etiam minimae
25 laudi lauream concessisse. Atque ista oratione hoc tamen intellegi,
scelerate, vis, Pompeium inimicum mihi isto versu esse factum, ut, si
versus mihi nocuerit, ab eo quem is versus offenderit videatur mihi
pernicies esse quaesita.

Hoe kun je dit als kritiek op Pompeius opvatten?

(75) Omitto nihil istum versum pertinuisse ad illum; non fuisse meum,

- 30 quem quantum potuissem multis saepe orationibus scriptisque decorassem,
hunc uno violare versu. Sed sit offensus primo; nonne compensavit cum
uno versiculo tot mea volumina laudum suarum? Quod si esset commotus,
ad perniciemne non dicam amicissimi, non ita de sua laude meriti, non ita
de re publica, non consularis, non senatoris, non civis, non liberi, in hominis
35 caput ille tam crudelis propter versum fuisset?

6.2 Praktische adviezen

Crassus tempert de verwachtingen van Sulpicius

(137) Tum Crassus `atqui arbitror, Sulpici, cum audieris, non tam te haec

- admiraturum, quae dixero, quam existimaturum tum, cum ea audire
cupiebas, causam cur cuperes non fuisse. Nihil enim dicam reconditum,
25 nihil expectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis aut cuiquam
novum. Nam principio, illud quod est homine ingenuo liberaliterque educato
dignum, non negabo me ista omnium communia et contrita praecepta
didicisse:

De eerste onderscheiden

(138) primum oratoris officium esse dicere ad persuadendum

- 30 accommodate; deinde esse omnem orationem aut de infinitae rei
quaestione, sine designatione personarum ac temporum, aut de re certis
in personis ac temporibus locata; (139) in utraque autem re quicquid
in controversiam veniat, in eo quaeri solere aut factumne sit aut, si est
factum, quale sit aut etiam quo nomine vocetur aut, quod nonnulli addunt,
35 rectene factum esse videatur; (140) existere autem controversias
etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit scriptum aut
contrarie aut ita, ut a sententia scriptura dissentiat; his autem omnibus
partibus subiecta quaedam esse argumenta propria.

Drie genres redevoering

(141) Sed causarum, quae sint a communi quaestione seiunctae, partim

- 40 in iudiciis versari, partim in deliberationibus; esse etiam genus tertium,
quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur; certosque esse
locos, quibus in iudiciis uteremur, in quibus aequitas quaereretur; alios

in deliberationibus, quae omnes ad utilitatem dirigerentur eorum quibus

consilium daremus; alios item in laudationibus, in quibus ad personarum

45 dignitatem omnia referrentur.

Basisvaardigheden: *inventio en dispositio*

(142) Cumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partis

distributa, ut deberet reperire primum quid diceret, deinde inventa non

solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque

componere; tum ea denique vestire atque ornare oratione; post memoria

50 saepire; ad extremum agere cum dignitate ac venustate; (143) etiam illa

cognoram et acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos

eorum esse animos, qui audirent; deinde rem demonstrandam,

postea controversiam constituendam; tum id, quod nos intenderemus,

confirmandum, post quae contra dicerentur refellenda, extrema autem

55 oratione ea, quae pro nobis essent, amplificanda et augenda, quaeque

essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda.

Elocutio, actio en memoria

(144) Audieram etiam quae de orationis ipsius ornamentis traderentur:

in qua praecipitur primum, ut pure et Latine loquamur, deinde ut plane

et dilucide, tum ut ornate, post ad rerum dignitatem apte et quasi

60 decore; singularumque rerum praecepta cognoram. (145) Quin etiam,

quae maxime propria essent naturae, tamen his ipsis artem adhiberi

videram. Nam de actione et de memoria quaedam brevia, sed magna cum

exercitatione praecepta gustaram.